

§. IV. De vi, seu violentia.

20. — DEFINITIO. Vis seu violentia est coactio, quae a causa extrinseca et libera alicui infertur, repugnante eius voluntate.

DIVISIO. Duplex distinguitur violentia, scilicet, *absoluta* vel *secundum quid*, prout coactio alicui omnimode, vel aliquatenus tantum repugnanti infertur (12).

Principia. — I. Actus elicitus voluntatis nullatenus cogi possunt, quia voluntati vis inferri nequit. Proinde S. Anselmus: *Invitus* (inquit) *nemo potest velle, quia nemo potest nolens velle* (De libero arbitrio, c. 6.). Et S. Thomas: *Contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus, vel violentus* (1. 2. q. 6. art. 4.).

II. Actus externi (13) ex violentia absoluta positi nullatenus sunt voluntarii aut liberi, nec proinde peccaminosi aut demeritorii; actus autem externi, qui ex violentia *secundum quid* tantum ponuntur, plus vel minus sunt liberi pro maiori vel minori resistendi difficultate, aut pro maiori vel minori affectu, quo quis vim patitur. — S. Lig. n. 17.-18.

21. **Resolves.** — 1^o Mulier quae omnimode resistit violentiae, quae ipsi infertur, nullo modo peccat, etiamsi stuprum patitur; nemo enim peccat omnino invitus.

2^o Peccant graviter feminae vim patientes, si pusillanimitate, aut vano timore, v. gr. offendendi aggressorem, etc., non resistant, quantum possunt, etiam secluso periculo consensus; quia etiamsi non consentiant in sensualem delectationem, tamen dum minus, quam par est resistunt, aequivalenter in sui violationem consentiunt et crimini alterius cooperantur. — An vero peccet mulier vi oppressa, si ob metum mortis clamare omittat, controvertitur. — Probabiliter negandum videtur, secluso consensus periculo. Imo valde probabiliter, secluso praedicto periculo, non tenetur mulier ad clamandum, stante periculo cuiuslibet notabilis damni, sive infamiae, vel nimiae verecundiae; nam si alioqui iam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto incommodo vim repellere. Sic expresse S. Lig. 1. 3. n. 430. In praxi tamen suadenda est opposita agendi ratio, ob alicuius consensus periculum (14). — S. Lig. 1. 3. n. 368.

(12) Dupliciter contingit, quempiam aliquatenus tantum repugnare, scil. 1^o cum vis non est eiusmodi, quae contumaci resistentia frangi aut debilitari non possit. 2^o aut cum vim illatam, quaecumque demum sit, quis non patitur invitus.

(13) Intellige actus extrinsecos voluntati, qui aliis potentiis sive externis, sive internis eliciuntur. Etenim non solum ex-

teriora corporis membra, sed etiam interiores facultates, uti sunt phantasia, appetitus sensitivus, etc. vi aliqua extrinseca, v. gr. Angeli tum boni tum mali, voluntate nequicquam reluctante, ad aliquos actus moveri possunt.

(14) At enim si adest periculum consensus, non suadenda modo est opposita agendi ratio, sed prorsus indicenda. Si

3^o Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta et continua illatae coactioni, quando scilicet ex una parte inutilis foret, ex altera autem agitur de materia minus periculosa. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis ambularent. At in omni casu resistendum est quantum ad avertendum periculum scandali, vel Religionis iniuriam requiritur.

CAPUT III.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM

Dicetur 1^o de essentia moralitatis; 2^o de eiusdem fontibus.

ARTICULUS I. — DE ESSENTIA MORALITATIS.

22. — Theologi non pauci in varias sententias et in intricatissimas quaestiones abeunt ad explicandam determinandamque moralitatis actuum humanorum essentiam. Iuxta communiorem autem doctrinam, sequentia videntur statuenda:

I. Essentia moralitatis primario consistit in habitudine seu relatione actus humani ad legem aeternam, quae est ratio divina, seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens et perturbari vetans. Ratio est, quia sola lex aeterna potest esse primaria morum regula (1). Et sane huiuscemodi regula debet esse infallibilis, indefectibilis, et valens obligare in conscientia; atqui talis est sola lex aeterna, e qua sola caeterae leges vim obligandi accipiunt: ergo. Sic ex S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 2.

II. Essentia moralitatis secundario consistit in habitudine actus humani ad rectam rationem. Ratio, quia sola recta ratio potest homini manifestare legem aeternam, seu primariam morum regulam. Ergo recta ratio est regula subiectiva primariam manifestans. Ergo essentia moralitatis consistit secundario in conformitate seu difformitate actus humani cum recta ratione. — S. Thom. 1. 2. q. 94. art. 4.

23. **Resolves.** — 1^o Ens igitur morale illud omne et solum est, quod substat regulae morum seu legi Dei praecipienti aut vetanti aut permittenti (2). Per illud enim solum ordinamur ad finem nostrum ultimum,

vero abesse eiusmodi periculum prudenter censi potest, haud apparet, poenitentem ad grave damni seu infamiae discrimen subeundum sine pari causa facile inductum iri. Conf. La Croix, Lib. 3. P. 1. n. 916.

(1) Ut recte lex aeterna statuatur seu regula morum, seu norma *moralitatis*,

latius hic accipiatur oportet, adeo ut indicet non solum ordinem, qui necessario servandus est, sed etiam qui convenienter servatur. Secus excludetur actuum non praeceptorum honestas.

(2) Minus apta est ista disiunctiva: neque enim actus quilibet, qui non sit praecipuus aut prohibitus, dici debet mere

vel ab eo deordinamur. Ergo ut actus nostri sint boni, debent esse aliquo modo conformes voluntati divinae, cum sit summa et primaria morum regula.

2^o Libertas praeexigitur ut fundamentum moralitatis; secus enim actus non esset humanus, atque adeo omnia peccata et merita de medio tollerentur. Ergo.

3^o Falsum est essentiam moralitatis reponendam esse in sola libertate. Etenim moralitatem actus humani consequitur ipsius imputabilitas ad laudem vel vituperium, ad praemium vel poenam; atqui actus non est tantum dignus laude aut vituperio quia liber est, sed etiam et maxime quia conformis est vel difformis regulis morum, seu divinae voluntati. Ergo...

4^o Falsum est a fortiori moralitatem consistere in solo voluntario. Voluntarium enim sine libertate neque laude, neque vituperio dignum est (3), quippe homo sine libertate non est actus sui dominus.

24. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An dentur actus proprie indifferentes, seu moralitate carentes, sive in specie, sive in individuo?*

Resp. 1^o Certum est dari actus indifferentes *in specie*, seu actus qui in sua specie expertes sunt moralitatis. Sunt enim actus, qui in se spectati, abstrahendo a fine et circumstantiis, nullam habent cum lege, aut recta ratione convenientiam aut repugnantiam, ideoque nec boni nec mali reputandi sunt. Sic ambulare, scribere, et innumera similia, sunt actus *per se* indifferentes.

Resp. 2^o Controvertitur autem quoad actus *in individuo*, seu in agente spectatos.

1^a *Sententia communior et probabilior negat cum S. Thoma.* Ratio est, quia homo deliberate agens necessario aliquem finem sibi proponit; debet enim agere ut homo: porro finis quem sibi proponit, est necessario bonus vel malus, seu conformis rationi, vel non conformis: ergo in nullo casu actus proprie indifferens *in individuo* dabitur (4).

permissus, neque apte dices mere *permissam* professionem consiliorum evangelicorum.

(3) Quod ad rationem meriti ac demeriti sufficiat merum *voluntarium*, haeresis est ianseniana post Lutherum, Calvinum, etc. Vid. supr. n. 12.

(4) Conf. S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9. S. Alphonsus (Lib. 5. *De Act. Hum.* n. XLIV.) rationibus S. Thomae addidit etiam hoc argumentum: *Ad haec homo tenetur*

omnes actus suos ad Deum referre, quando agit cum deliberatione et propter aliquem finem. Inquit enim Apostolus 1. Cor. 10.: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Si ergo ad Deum refert saltem per intentionem virtutem, actus erit bonus, si non refert erit malus; nullus igitur indifferens.* Quod quidem argumentum S. Doctor sumpsit prope ad literam ex Collet

II^a *Sententia affirmat cum Scotistis.* Ratio autem eorum est, quia non constat de lege intendendi finem positive bonum in omnibus, siquidem talis lex a multis doctoribus ignoratur. Numquid enim dicat

(*De actib. hum.* Cap. 6. Sect. 2. concl. 1.) *ad quem* (inquit) *mitto qui fusius hanc quaestionem pertractatam... studiose quaerit.*

At enim dissimulandum non est, gravissimis haec premi difficultatibus, nec deesse scopulos, qui vix aut ne vix quidem vitari possint. Et reipsa ipse Collet advertit, ad defensionem errorum suorum arma hinc sumpsisse et Ioannem Huss, et Lutherum, et Baium, et Iansenium, et Quesnellum, quibus adiungi debent pseudotheologi illi Lovanienses, Laurentius Neesen, Macarius Havermans, Ioannes Sinnichius, Gerardus Van Werm, Gregorius Van Goorlachem etc., ut videre est apud Card. Aguirre (*Theolog. S. Anselm.* Disp. 130.): ad quos quidem scopulos declinandos idem Collet ad absurda, quae videsis infra (n. 17. art. seq.), confugere debuit.

Caeterum, ut res pateat, non nullis opus est. Nam, ne actus malus sit, atque adeo peccatum, iuxta hanc doctrinam necessaria est relatio in Deum, saltem virtualis. Porro *virtualis* dicitur, quae manet virtute actualis praehabita, nec (ut bene dicit Collet 1. c.) *revocata sit per actum contrarium, puta peccatum.* Ergo quoties aut nulla *actualis* relatio praecesserit, aut praehabita iam retractata per actum contrarium fuerit, omnes consequentes actus virtuali necessaria relatione carebunt, atque adeo erunt mali. Cumque referre actus in Deum, sive in gloriam Dei, ad virtutem theologicam charitatis pertineat, uti evidenter inferius ostenditur, et actualis operum relatio in Deum nihil aliud sit, ut habet S. Thomas (2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 6.), quam *habitu charitatis exire in actum*; manifesto consequitur,

illum, qui aut nunquam actum charitatis elicuerit, aut habitum charitatis per peccatum amiserit, in omni opere deliberato peccare. Redivivam ergo habemus damnatam doctrinam, tum infideles tum peccatores in omni opere suo semper peccare.

Neque vero haec consecraria adscribi doctrinae S. Thomae possunt. Nam utique docet, sub praeceptum charitatis cadere, quod omnia referantur in Deum; at simul docet, hoc praeceptum non semper urgere, sed solum quando homo tenetur actum charitatis elicere; alioquin autem nusquam dicit, ad moralem actuum bonitatem eiusmodi relationem ita necessariam esse, ut, si haec desit, omni bonitate morali destituantur, atque adeo, ut fert opinio Iansenistarum et Colleti, mali evadant. Et haec quidem melius infra patebunt, ubi de hac operum relatione in Deum sermo redibit.

Caeterum si qui alii ad evincendum, nullum in individuo actum esse indifferentem, sententiam Apostoli invocarunt, inde tantum arguebant, quod quilibet actus debeat esse referibilis in ultimum finem, et ideoque debeat esse honestus, adeoque honestum ac rationi consonum finem proximum habere debeat. Verum, uti patet, nihil huc pertinet id, quod dicitur de relatione in Dei gloriam *actuali*, aut *virtuali*, in qua actualis praecedentis perseveret influxus. Quocirca non potest hinc illud Colleti argumentum duci: *aut homo actum saltem virtualiter refert in Deum, et sic erit bonus; aut non refert, et sic erit malus.* Quinimo relatio actus in Deum, ut finem ultimum, actum iam referibilem per se esse, atque adeo ex fine proximo honestum existere supponit.

recta ratio, hominem male agere, dum ponit actionem a Deo permissam, nec tamen eam ad finem positive honestum refert (3)?

Caeterum utraque sententia, licet specie tenus opposita, non tamen videtur adeo differre. Etenim iuxta omnes pravus finis debet semper excludi; secus actus, quantumvis indifferens in se, malus evaderet. Bonus autem dicitur a Thomistis finis, qui ut indifferens ab adversariis habetur. Agitur enim de fine, non supernaturali, sed naturaliter bono seu honesto. Porro ille fine naturaliter honesto ducitur, qui agit propter finem naturaliter operi intrinsicum, seu propter id, ad quod opus suapte natura ordinatur.

25. — QUAER. 2^o *An actus externus addat moralitatem actui interno?*

Resp. 1^o *Per se* actus externus nullam moralitatem addit actui interno, atque adeo neque auget neque minuit meritum aut demeritum substantiale actus interni. — Ratio est, quia omnis moralitas ab intrinseco, seu a voluntate desumitur; nec actus externus ullam habet imputabilitatem ad meritum vel demeritum sibi propriam et distinctam ab imputabilitate actus interni. Quocirca actus externus non est formaliter, sed tantum materialiter, honestus, vel inhonestus.

Constat etiam ex Scriptura sacra, quae saepe voluntatem pro ipso facto reputat. Sic *Gen.* 22. Deus dixit Abrahae, qui filium immolare tantum voluit: *Quia fecisti hanc rem, nec pepercisti filio tuo... benedicam tibi.* Et *Matth.* 5. dixit ipse Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* — Nec obstat obligatio declarandi actum externum in confessione; declarari enim debet, quia constituit unum eundemque actum cum interno, ut dicetur ubi de confessionis integritate.

Resp. 2^o *Per accidens* tamen plerumque actus externus auget moralitatem, quia saepissime est occasio, cur augeatur bonitas vel malitia actus interni, v. gr. ut protrahatur, aut multiplicetur, etc. Actus enim internus adaugetur propter arduitatem boni operis externi, vel delectationem mali, aut propter longiorem temporis moram in opere externo perficiendo necessariam.

Aliunde saepe adest in opere externo scandalum aut damnum proximi, aut e contrario bona aedificatio, ex quibus adaugetur etiam actus interni moralitas. Ita *communiter Theologi.* Conf. Suarez *De humanor. act. bonitate* disp. X. sect. I.

(3) Hanc opinionem tribuit S. Bonaventurae P. Staidel in *Dissert. de Actib. Human.* praefixa Tomo I Gabrielis Antoine n. 278. Sed reipsa S. Doctor ad summum id affirmat de actu indifferencia quoad

meritum vitae aeternae, non autem quoad moralem bonitatem. Vid. 2. Dist. 28. art. 2. q. 3. Imo etiam Scotum ita intelligendum esse ostendit Gabriel Vasquez. In 1. 2. Disp. 217. Cap. 1. n. 6.

ARTICULUS II. — DE FONTIBUS MORALITATIS.

Fontes moralitatis nuncupantur ea principia, quae actibus humanis speciem, aut speciei modificationem in genere moris tribuunt.

Tres moralitatis fontes numerantur, scilicet 1^o obiectum actus; 2^o circumstantiae eiusdem; 3^o finis agentis. Tria haec omnino ad actum bonum requiruntur; si vel unum malum sit, actus malus evadet. Hinc pervulgatum axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.*

§. I. *De obiecto.*

26. — Obiectum illud est, circa quod actus moralis versatur, et in quo proxime et per se terminatur voluntas agentis.

Obiectum est *bonum*, vel *malum*, vel *indifferens*, prout rationi, legi, aut recto ordini consentit vel non, aut praeter legem seu rectum ordinem se habet. Item potest esse intrinsece bonum, vel malum, id est ratione sui ex recti ordinis exigentia; aut non intrinsece, sed solum ratione praecepti positivi.

Dico: Ex obiecto moraliter considerato desumitur prima et essentialis moralitas actus humani; moralitas enim quam obiectum actioni tribuit, concipitur ante omnem aliam, quae sive ex fine sive ex circumstantiis proveniat.

Moralitas, quae ex obiecto desumitur, appellatur moralitas, seu bonitas vel malitia *obiectiva*. — Si obiectum fuerit in se indifferens, ex fine vel ex circumstantiis moralitatem suam accipiet.

Obiecta autem intrinsece mala sunt triplicis classis, scilicet 1^o Quaedam talia sunt *absolute*, et independenter ab omni circumstantia; quia ex se involvunt repugnantiam cum recto ordine absolute necessario, ut est odium Dei, blasphemia, etc. — 2^o Alia sunt *intrinsece* mala, non praecise in se, sed ratione adiuncti aut conditionis alicuius, quae pendet a dominativa potestate Dei aut hominis: talia sunt ablatio rei alienae, laesio corporis vel famae, et similia quae aliquando licita evadunt — 3^o Alia tandem mala sunt tantum ratione periculi, quod ordinarie adiunctum habent, ut aspectus obiecti turpis, lectio pravi libri, etc... Haec, data rationabili causa, et semoto periculo, licita fieri possunt.

§. II. *De circumstantiis.*

27. — Circumstantiae sunt determinationes accidentales actus, sine quibus hic posset quoad substantiam existere, et quae tamen attingunt aliquo modo moralitatem eiusdem. Hinc circumstantiae non sunt obiectum actus, quia secundo tantum a voluntate attinguntur.

Septem numerantur circumstantiarum classes, hoc versiculo expressae:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Scilicet: *Quis*, seu qualis sit agens, uxoratus, clericus, etc.? — *quid*, seu quae sit accidentalitas qualitas aut quantitas obiecti? — *ubi*, seu quomodo in loco, an sacro vel profano? etc. — *quibus auxiliis*, id est, quibusnam mediis, instrumentis etc. usus fuerit agens? — *cur*, seu ex quali fine, nempe extrinseco? — *quomodo*, nempe an malitiose, vel bona fide, an modo intenso, vel remisso, an advertenter, necne? — *quando*, id est, quali, vel quanto tempore?

Dico: Actus humanus veram moralitatem desumit ex circumstantiis. Ratio est, quia circumstantiae actum determinant ut moralem, nimirum ut habentem relationem convenientiae aut disconvenientiae cum ratione et recto ordine; imo eiusmodi convenientiam aut disconvenientiam interdum solae circumstantiae in actum inducunt, ut contingit in actibus ex obiecto indifferentibus.

Hinc 1^o circumstantiae aliae sunt quae ad moralitatem actus attinent; — 2^o aliae quae ad eam nihil conferunt, quaeque proinde prorsus indifferentes habendae sunt; — 3^o aliae quae in eadem specie morali obiectum relinquunt, et aliae quae speciem ipsam mutant, seu novam speciem superaddunt. Ex prioribus, aliae malitiam aggravant, aliae vero minuunt, idque graviter vel leviter efficiunt (6).

QUAER. *An circumstantia leviter mala totum actum bonum semper corrumpat?*

Resp. Neg. Etenim substantia actus boni, non obstante eiusmodi circumstantia, illaesa remanere potest; unde actus ille non nisi ex parte inficitur. Sic, v. gr. agens non amittit totum meritum boni operis, nec praecipuam eius partem, licet alicui tentationi vanae gloriae *incidenti* consensum praestiterit. — Billuart, diss. 4. art. 4. — Vide dicenda infra de fine, n. 30.

§. III. De fine.

28. — Finis in genere est id, cuius gratia aliquid fit.

Duplex est, scilicet *finis operis*, nempe finis ipsi operi intrinsecus, et ad quem opus per se tendit; et *finis operantis*, id est extrinsecus operi, et ad quem agens ad libitum intentionem suam dirigit, seu quem agens sibi praestituit (7). De hoc tantum posteriori fine dicendum nobis est, quippe qui solus proprie finis dicitur.

Est autem finis ille 1^o *intermedius*, vel *ultimus*, prout ad alium finem refertur, vel voluntas in eo quiescit; — 2^o *positive* ultimus, vel *negative*

(6) Si circumstantiae ita peccatum minuunt aut aggravant, ut ex mortali fiat veniale, aut viceversa, tunc actum in aliam speciem *theologicam* transferre dicuntur.

(7) Duo isti fines interdum in idem recidunt, interdum alius alii superadditur, interdum secluso operis fine intrinseco solus actum dirigit extrinsecus.

ultimus, prout intenditur, vel non intenditur cum exclusione alterius finis: — 3^o *primarius*, vel *secundarius*, prout causa est totaliter motiva actus, aut partialiter tantum impulsiva. Iterum finis ultimus potest esse *explicite* vel *implicite* intentus, prout agens *expresse* aut *virtualiter* tantum huiusmodi fine impellitur.

Dico 1^o Actus humanus veram moralitatem a fine desumit. Ratio, quia finis potest dicere ordinem conformitatis, et deformitatis ad rectam rationem. Sic rectae rationi conforme est non solum dare eleemosynam, sed etiam eam dare in peccatorum remissionem; sicut pariter rectae rationi repugnat non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum.

Dico 2^o Peccat qui agit propter solam delectationem (8). Ratio est, quia ille agit inordinate, pervertens ordinem rerum ab auctore naturae institutum. Etenim iuxta ordinem ab auctore naturae institutum delectatio est propter operationem, et non vice versa: scilicet delectatio est velut sal et condimentum quoddam, quod inservit ad alliciendum ad actiones

(8) Aliud est agere propter delectationem, aliud agere propter *solam* delectationem. Posterius hoc ulteriorem operis finem *positive* excludit; haec autem finis exclusio inordinata est, et quidem non solum in appetenda delectatione, sed in cuiusvis quoque virtutis actu; quia et actus virtutis, si ita exercetur, seu in ipso ita sistitur, ut superior seu ultimus finis *positive* excludatur, eo ipso iam fiet vitiosus.

At primum illud nullam eiusmodi inordinationem involvit. Nam primo quidem *delectatio*, ut ait S. Thomas (Contr. Gen. 1. 3. c. 26. n. 6.), *bona est et appetenda, si bonam consequatur operationem*: et proprium virtutis temperantiae est, ut usum delectabilium moderetur, et ab iis quidem retrahat, quae sunt contra rationem, non vero ab iis, quae secundum rationem sunt convenientia (Vid. S. Thom. 2. 2. q. 144. art. 1. ad 1.). Deinde vero non excluditur finis ulterior, nisi forte *negative* tantum. At vero exclusio finis *negative* actum non vitiat; neque enim ad actionis honestatem necesse est de ulteriori, aut etiam de fine operis intrinseco cogitare. Proinde ut honeste quis delectationem ex ludo, aut cibo, aut quiete capiat, nequaquam opus est, ut de ludi, aut

cibi, aut quietis fine sive intrinseco sive ulteriori cogitet; sed satis est, ut actionem ceu rectae rationi consonam apprehendat, seu etiam ut nihil in ea ordini rationis contrarium inveniat; quippe, ut habet S. Thomas (Suppl. q. 49. a. 4.), *ex eodem habet actus aliquis quod non sit malus in genere moris, et quod sit bonus, quia non est aliquis actus indifferens*.

Exinde se manifeste prodit ratio, cur merito ab Innocentio XI. proscriptae sint propositiones VIII. et IX. de opere coniugii aut actu comedendi ob *solam* voluptatem. Intrinseco enim vitio laborant ob praedicatum *solam*, quod *positive* excludit alios quosvis fines, in quos actiones eiusmodi ordinantur. Nam quod alioquin ad opus quis alliciatur ac moveatur appetitu delectationis, quemadmodum et ad laborem spe praemii seu mercedis, id ordini naturae est consentaneum, ut habet S. Thomas l. c. Conf. Salmantic. (De Matr. cap. 3. n. 33.), Niva (Ad Prop. VIII. Innoc. XI. n. 6.), Duarte (Expos. Prop. damnat. n. 162.), Rone. (De Matr. q. II. cap. 1. q. 2. Resp. 2.), Pont. (De Matr. lib. X. cap. 8. n. 6.), Azor (Part. I. lib. 2. cap. 5. q. 4.), etc.

vitae necessariae, vel utiles. Igitur delectatio est tantum medium ad actiones facilius, melius, constantius efficiendas, non autem finis ultimus actionis. Sic enim S. Thomas: *Divinus intellectus, qui est institutor naturae, delectationes apposuit propter operationes.* 1. 2. q. 4. art. 2.

Confirm. ex prop. 8^a ab Inn. XI. damnata, quae sic sonat: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* — Attamen haec deordinatio *per se* non est gravis, et proinde peccatum veniale non excedit; quia *ordinarie* finis ultimus (9) non excluditur ne implicite quidem, nisi agatur de iis, de quibus ait Apost. *Philipp. 3. 19.: Quorum Deus venter est.*

29. **Resolves.** — 1^o Omnis electio mali medii est mala, sed non e converso omnis electio boni medii est bona. Sic nemo laudatur ex eo, quod absteineat a potu ex avaritia: reus autem habendus est, qui furatur pecuniam ad eleemosynam faciendam.

2^o Qui eligit medium honestum ad finem honestum, ponit actum duplicis honestatis (10), si utraque honestas sit intenta. Item duplicis

(9) *Finem ultimum* A. intelligit vitae humanae, non vero finem intrinsecum illorum operum, de quibus est sermo. Porro iste finis ultimus excluditur per quodvis grave peccatum, quod A. merito supponit in iis, *quorum Deus*, ut ait Apostolus, *venter est.*

(10) S. Alphonsus (*De Act. Human.* n. XXXVIII.) post Collet (*De Act. Hum.* cap. 6. art. 2. sect. 2. concl. 3.) scribit, hanc doctrinam esse *communem theologorum, uno excepto Vasquez.* Sed haec exceptio Vasquezii est mera hallucinatio Colleti, qui hic accurate scholarum distinctiones et conclusiones prae oculis non habuit. Videlicet ut in casu duplex sit bonitas actus, necesse est, ut medium ametur non solum quia utile est ad finem, sed etiam quia bonum in se. Huc spectant illa Becani (*De Act. Hum.* cap. 4. q. 3. n. 6.): *Quando obiectum electionis, quod per se bonum est, non amatur ullo modo propter se, sed solum propter finem, tunc bonitas obiecti nihil ad rem facit. Quando autem et propter se amatur, quatenus per se bonum est, et propter finem, quatenus ad illum*

consequendum utile est, tunc manet bonitas obiecti cum bonitate finis. Idcirco Auctor addit illud: *Si utraque honestas sit intenta.* Et huc spectat Vasquez (In 1. 2. disp. 51. cap. 3. n. 13; quem locum allegat Collet), ubi ait: *Cum aliquis eligens opus unius virtutis ex intentione finis alterius virtutis, tunc non allucitur a bonitate virtutis, cuius est illa materia, et opus illud eligat tantum ut utile ad finem, efficitur, electionem illam solam habere bonitatem finis.*

Ad vitandas autem Colleti hallucinationes etiam ubi actui duplex reipsa accedit honestas seu bonitas, inspicienda est scholae doctrina, quam sic effert Suarez (In 1. 2. Tract. 3. Disp. 6. Sect. 2. n. 2.): *Fieri potest, ut obiectum honestum non sit quidem volitum propter suam honestatem, eius tamen honestas sit in se, et per se volita propter alium finem...; nam unum bonum potest esse utile ad aliud, non solum ratione suae materiae, sed etiam ratione suae honestatis; et tunc potest quidem honestas unius obiecti vel actus in se amari,*

malitiae reus est, qui eligit medium malum ad finem malum, puta si quis pecuniam furetur, ut se inebriet.

3^o Qui adhibet medium malum ad finem bonum, contrahit tantum malitiam medii, v. gr. si quis mentiatur ad proximum e periculo liberandum. Item vice versa qui adhibet medium honestum ad finem malum, contrahit tantum malitiam finis.

4^o Qui adhibet medium indifferens ad finem bonum vel malum, contrahit tantum bonitatem vel malitiam finis. Sic v. gr. si iter arripias, ut peregrino viam indices, habes tantum meritum finis; item si canas, ut alteri molestiam facias, habes tantum finis reatum. In confessione autem necesse non est circumstantiam mediorum huiusmodi declarare, ut patet.

30. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An finis quilibet malus totam actus bonitatem corrumpat?*

Resp. 1^o Finis graviter malus semper actum omnino inficit, quantumvis bonum sit obiectum in se. Actus enim ille nulla ex parte bonus esse potest, siquidem agens peccando mortaliter a Deo totaliter recedit.

Resp. 2^o Finis leviter malus etiam totum actum corrumpit, si sit finis *totalis*, vel saltem *primarius* agentis. Etenim si sit *totalis*, totum obiectum complectitur, et proinde totum inficit, quia *agens malo fine vult bonum sub ratione mali, et ideo, prout volitum est ab eo, malum est.* S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 7. — Constat etiam ex verbis Christi. *Matth. 6. 25.: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Hinc dona Cain, licet in se bona, Deo displicuerunt utpote a malo fine provenientia.

Si vero duplex habeatur finis, et malus sit primarius, eodem modo est resolvendum, quia actus ille adhuc eligitur, ut sit instrumentum ad malum, et proinde substantialiter vitiatur.

licet non ametur propter se praecise, sed propter alium finem. Et mox idem Suarez (ibid. n. 3.): *De huiusmodi actu omnes etiam fere conveniunt, habere bonitatem essentialem et primam ex fine, non autem ex obiecto materiali, neque ex honestate eius. Ita potest sumi D. Thomas (3. Contr. Gent. caput 138.), ubi significat, abstinentiam factam (ex voto) habere praeter bonitatem temperantiae, etiam bonitatem religionis: imo laudabiliorem esse ex voto, quam ex abstinentia.*

Ex quibus posset quispiam cum Colleto

concludere, iuxta Suaresium negari duplicem in actu temperantiae bonitatem. At non ita theologi, licet bonitatem alteram essentialem, alteram dicant accidentalem. Ita etiam Vasquez (cit. Disp. 51. cap. 2): *Si vero medium habet ex se propriam bonitatem... etiamsi electio haberet bonitatem propriam ex medio, nihilominus sumeret etiam speciem alterius bonitatis ex fine, ita ut ea esset primaria et substantialis, quatenus electio est, ea vero, quam haberet ex medio secundum se, esset ei secundaria, et quasi accidentalis.*